

159 159 159 159 : 159 159 159 159 : 159 159 159 159 159 159
 * * * * *  * * * * *
 159 159 159 159 : 159 159 159 159 : 159 159 159 159 159 159

SECTIO II.

SULPHVREORVM PRAE- PARATIONES.

Flores sulphuris.

Rx Sulphuris flauī contusi q. v.

Immitte cucurbitae terreae in arena positaē, et affixo capitello vitreo caeco, vel alia cucurbita terrea, sublima igne primum miti, postea validiori. Flores in capitellum eleuati abstergantur, qui aqua feruida diligenter abluantur.

Spiritus sulphuris per campanam.

Rx Sulphuris q. v.

Liquefiat in patella terrea, cui immergantur linteola contorta, vt fiat taeda sulphurata, quae imponatur collo phialae et collocetur in fundo peluis vitreae vel victilis: tum accenso sulphure, ferro ignito, in loco humido ventis imperuio, desuper campana vitrea suspendatur, ea distantia, vt flamma eam non attingat. Fumus, in campana a frigore condensatus, per oram eius in vas suppositum decideret in modum aquae.

Hepar

Hepar sulphuris.

℞ Flor. sulphuris vncias tres.

*Liquefactis in patella terrea adice paulatim,
sub camino,*

Salis tartari fescunciam,
*assidue agitando spatula, donec massa rubescat, ca-
uendo ne accendantur.*

Lac sulphuris.

℞ Hepatis sulphuris triti q. v.

Aquae fontanae quadruplum.

*Coque per tres horas, addendo aquam, si opus
sit; liquor feruidus per filtrum depuretur, cui
instilla*

Spiritus vitrioli q. f.

*i. e. donec cesset efferuescentia. Puluis praecipi-
tatus abluatur aqua calida et exsicceetur.*

Balsamum sulphuris crassum.

℞ Olei lini libram vnam.

Florum sulphuris vncias quatuor.

*Coque leni igne, in vase amplo assidue agitan-
do, vt coeant in balsamum.*

Balsamum sulphuris terebinthinatum.

℞ Flor. sulphuris vncias duas.

Olei terebinthinae vncias decem.

*Digere in arena, donec oleum sulphure satura-
tum fuerit.*

Balsamum sulphuris anisatum.

℞ Flor. sulphuris vncias duas.
Olei terebinthinae vncias sex.
Still. anisi vncias quatuor.

Digero ut supra.

Sal volatile, spiritus et oleum succini.

℞ Succini triti in puluerem,
Arenae mundatae ana p. aequ.

Commixta iniiciantur retortae vitreae, ut dimidium impleatur. Adaptato recipiente amplo fiat destillatio in arena, igne gradatim aucto. Primo extillabit spiritus cum pauco oleo flauo, dein oleum flauum cum pauco sale, tertio demum ignis gradu plus salis cum oleo subrubro. Liquor ex recipiente effundatur, et sal a lateribus collectus, atque inter plicas chartae emporeticae compressus, exsiccetur; tum spiritus ab oleo per filtrum vel infundibuli rostrum angustum separetur. Oleum cum muria salis marini destillatum ex cucurbita vitrea dat

*Oleum succini rectificatum,
Parte crassiore in fundo vasis relictæ.*

Sal succini rectificatum.

℞ Salis succini prioris destillationis q. v.
marini decrepitati duplum.

Contrita indantur cucurbitae vitreae altae et angustae, adaptato dein capitello caeco fiat sublimatio salis albi flocculenti, cauendo ne ascendat oleum. Frigefacto vase sal abstergatur pluma

SECTIO